

successione collateralium omnis repraesentatio absit atque abhorreat, quoniam eodem iure propior defuncto collateralis semper est remotiori potior, palam est, neque a fratre unilaterali neque a fratrum bilateralium liberis patrum et auunculum defuncti posse excludi, quia hi omnes aequali ab eo gradu dissident. Id quod tamen iure Saxonico Electorali ita correctum est, ut frater unilateralis bilateraliumque liberi, non vero nepotes, patruos vel auunculos utique a successione repellant. Vid. Const. Saxon. Elect. P. III. const. 18. ibique Carpzou. def. 19.

§. XXV.

Quare, quum ex iis, quae proximis paragraphis adstruxi, satis liqueat, id inter ius Romanum et Germanicum sigillatimque Saxonicum interesse, ut illo repraesentatio quae collaterales heredes, ad fratrum sororumque nepotes usque, his tamen exclusis, constituta sit, hoc vero, puta Saxonico, collateralibus omnis successio vicaria negetur; descendendum nunc ad caput rei est, ac dispiciendum, utrum ea parte Romanam an vero Germanicam et Saxoniam constitutionem Holsatiae ac Lubecenses sequantur. Miratus sum, vel nostra aetate addubitari, quid iuris potius aut quomodo haecenus dicendum sit, cui rei Responsa a Dn. Praeside Amplissimae Facultatis Kiliensis Iuridicae nomine reddita, quae benigne mecum communicata in Dissertationis calce exhibiturus sum, fidem faciunt. Diffitendum non est, Holsatiam utroque iure, Saxonico et Lubecensi a multis retro saeculis fuisse usos iisdemque uti etiam nunc. Quod illud attinet, non erravit illustris quondam Lipsiensium iurisconsultus primarius, Gribnerus, dum Holsatiae Ducatum in numero retulit terrarum iuris Saxonici. Vid. eius Dissert. de terris iuris Saxonici §. 30. in not.

Transi-
tio ad quaes-
tionem: sit-
ne in Hol-
satae Duca-
tu iuri Ro-
mano an
vero Saxo-
nico, quae
repraesenta-
tionem in
successione
collaterali-
um, locus?
Inde a mul-
tis saeculis
ius Saxoni-
cum in Hol-
sata obti-
nuit, etiam
ante saecu-
lum XII.
Confutatur
Mollerus.